



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Baro Mansuander de Campiano, n. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1581. nostri; quâ humilitate, quâ patientia, quâ firma resolutione, & supra omnia quâ feruenti erga Deum & proximum, & se inuicem Charitate; vt alter alterum iuuet in portando hoc iugo Domini. Deus nobis iam exhibuit gloriosa exēpla in Socijs nostris Martyribus, nobilq; non deerit si nobis nos non defuerimus. Veniant ergo læti, veniant hilares quicumque hanc singularem Martyrij palmam cupiunt, hic Deo donante voti fient compotes.

De cæteris nihil occurrit quod scribam *Gaspar, Guilielmus, & Robertus*, sani sunt corpore, licet *Guilielmus* grauius satis his diebus ægrotauerit. Creditores eorū valde eos persequuntur. Hactenus Deus eos est tutatus, licet læpe occasionem habeant meditando illa verba, *Non habet tibi reclinet caput. Memento nostri, o Charissimi, & omnium hominum dilectissimi amici. Valet; iterum dico valet in Christo Iesu. Decimo Calendas Ianuarij. 1581.*

Costofia
atq; qm

Vestrum omnium Eusebius.

Baro Mansuander de Campiano.

XXXVIII. De prodigijs quæ Bombinus prolixè deducit nihil adfero, nè actum agam; illud non videtur omittendum quod noster *Guilielmus Wrightus*, per Germaniam superiorem Austriamque notissimus, narrare solebat de Barone Mansuander *Campiani* olim discipulo. Hic cum discedenti in Angliam *Wrighto* Imperiales duodecim in honorem duodecim Apostolorum eleemosynæ loco largitus esset, rogabat vt sui memor esse vellet sub patibulo quo *Campianus* ad supplicium raptus est. Erat enim eius viri memoria non iucunda illi modò, sed Religione sancta. Vnde vxore in difficili puerperio laborante, orans Deum Sanctolque vt periclitanti venirent subsidio, inter cæteros *Campianum* implorabat, voto se obstringens, si filium pareret *Edmundi* nomen impositurum. Dum orat nuntiatur peperisse filium. Id cum Græcij accidisset, Ferdinandus Archidux (is qui eius nominis secundus dictus est Imperator) cum coniuge, infantem de sacro fonte susceptri, nomen ei dare statuerant Ferdinandi, cum Prens serò id esse diceret, quòd iam ex voto nomen haberet *Edmundi*: Vtrumque sortitus est, & *Edmundus Ferdinandus Mansuander* vocitatus; optimis Principibus primas Sancto & Martyri cedentibus. Omni tamen prodigio maior haud dubiè fuit ipsius *Campiani* inuicta constantia; quam si ex ore aduersariorum confirmare liceat, habemus Baronem *Hunldon*, qui cum torqueretur interfuit, & ad incredibilem patientiam, vel indignabundus vel admirans: "Citius, inquit, è præcordijs cor euellas, quàm quidquam, quod huic Religio est dicere, exprimamus.) Hæc est Christianæ fortitudinis excellentia, vt nulla vel doloris acerbitate, mortis formidine à recto deuiet; quam Martyres, Dei beneficio, perpetuò retinentes, & militantem hic Ecclesiam domesticis augent animantque exemplis, & Cælestem Hierusalem fulgentissimis illustant coronis.

Et Bero Hudson,

HIS